

Praeceptorium**Primum**

alij sciunt et eum glorificent. Et qui tante diligit eam et appetit quod etiam propter ipsam consequenda non pretermittit facere contra deum. et sic est peccatum mortale. Quia vero gloria est vana aliquo modo supra positum circa secundam propositionem. atque non repugnat dilectioni aliquorum modorum nunc preceptorum tunc appetitus vane glorie non est peccatum mortale sed solum veniale. ut dicit thomas.

Capitulum. xv. A

Decimo hic

prohibet hypocrisis. Nam ex premissis patet sicut finis superbie est propria et celerentia quam intendit superbus. sic finis appetitionis inanis glorie est manifestatio proprie excellentie. quod illam intendit vane gloriosus. Ad hanc autem manifestacionem secundum thomas. ij. q. cxxij. art. v. potest quis tendere et directe tripliciter. Primo per verba. et sic est iactantia. Secundo per facta falsa. et sic est hypocrisis. Tercio per facta vera habenna quadam admiratione. et sic est presumptio novitatu. De hypocrisis ergo tria sunt dicenda. Primo quid sit et qualiter committitur et quae mala sit. Secundo quomodo sit peccatum mortale. seu sub precepto prohibita. Tercio an quis minore possit offendere quam sit in re. quod vocatur ironia.

Quantum ad primum notandum secundum thomas. ubi supra. quod hypocrisis dupliciter capit. uno modo committere. alio modo proprie. Committitur seu generaliter hypocrisis id est quod simulatio et sic est mendacium phisice in signis exteriorum factorum. ut cum quis per aliqua exteriora signa reus aut factorum aliquid de se signat quod in eo non est. aut melius aut excellentius quam in eo veraciter existat. Et isto modo magis apparatus vestitus est simulatio seu hypocrisis litterature siue sapientie. et magis stat et presumptuosus in equis. servis et filijs. est simulatio divitiarum et potentie. Et sic omnis simulatio seu hypocrisis est mendacium. et ideo peccatum. et aliquando mortale si est contra charitatem. aliquando veniale sicut de mendacio dicitur infra. in precepto. vij. c. i. **Et causa autem quare simulatio est peccatum est illa.**

dicit thomas. ibidem. quod ad virtutem veritatis pertinere aliquis tale se exhibeat exterius per signa exteriora quibus est. signa autem exteriora non solum sunt verba sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora significet aliter quam habet apud se quod ad mendacium pertinet. ita etiam veritati opponitur quod aliquis per aliqua signa factorum vel reus aliquid de se significet contrarium eius quod in eo est. quod proprie simulatio dicitur. **De** Tamen sicut dicit Augustinus in libro de questionibus evangelicis. non omne quod fingimus mendacium est. sed quoniam illud fingimus quod nihil significat. tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significacionem non est mendacium. sed aliqua figura veritatis. Et subiungit exemplum de figurativis locutionibus. in quibus quidem fingimus res non ut asserat iram esse habere eas proponimus? ut figuram alterius? quod asserere volumus. Sic igitur se finxit dominus Iohannes ire. Lu. vi. quod proposuit motum suum quasi volentis longius ire. ad aliam figurative significandam. sed quod ipse ab eorum fide longe erat ut Gregorius dicit. Est igitur ut thomas. dicit simulatio peccatum simpliciter. quoniam refertur verum quibus verbo vel quocumque facto aliter mentiat. **Item** videlicet dicit. Si quis dat per aliquid opus vel per verbum duplex aliquid intelligere quod non est. non intentione fallendi. sed intentione veritatis consequentis talis simulatio non est peccatum. **Et** Circa quod tamen notat thomas. quod sicut aliquis verbo mentitur quoniam significat quod non est. non autem quoniam tacet quod est. quod quidem aliquando licet. Ita simulatio est quoniam aliquis per exteriora signa factorum vel reus significat aliquid quod non est. non autem si aliquis pretermittat significare quod est. Unde aliquis potest occultare suum peccatum sine peccato. Alio modo capit hypocrisis in sacra scriptura proprie. et est simulatio sanctitatis et iusticie quam quis non habet. Et sic hypocrita est qui per exteriora signa factorum sanctitatem aut quamcumque virtutem quam non habet simulat cum intentione ut alij credant eum tale esse. Et talis hypocrisis semper est peccatum. sicut et omne mendacium est peccatum. Ipsa autem hypocrisis est